



A Lardus apud Belgas honesto loco natus, & in omni genere literarū optimē educatus est. is cum rudimenta philosophiæ in patria percepisset, sese Coloniam atq; Louaniū cōtulit, atq; humanioribus studijs felici successu operam dedit. Itaq; cum præclarā eruditionem sibi comparasset, inter professores publicos Louanij receptus fuit. Erat Alardus Græcæ & Latine linguę peritissimus, atq; artium dicendi singularis æstimator. Itaq; omnia Rodolphi Agricolę opera emēdauit, atq; doctis scholijs egregiē illustrauit anno 1529. Postea quoq; de Inuentione Dialectica epitomen scripsit, atq; Ecclesiasten iuxta omnes locos Inuentionis Rhodolphi

proposuit. Præterea Hippocratis quædam ex Græco in Latinum uertit, atq; multa alia sui ingenij documēta reliquit. hinc factum ut Alardus omnibus doctis uiris per Germaniam gratissimus extiterit, atq; sibi magnam ubiq; auctoritatem compararit. Tandem uiam un uersæ carnis ingressus, felicem sui memoriam ob multiplicem eruditionem reliquit. In operibus Rhod. Agricolæ.